

Ludwig Blarer<sup>1)</sup> an Vadian.

St. Gallen. 1516. December 12.

Versicherung seiner Freundschaft; Erwartung der Ankunft Vadians.

Orationes suas utinam devotas. Quamquam, prædilecte mi, nullas hactenus ad te literas miserim et nulla, ut tu faris, benevolentia<sup>a)</sup> in te prosecuta, non tamen idcirco factum fuisse existimes, quod te oblivioni traderim. Quis enim nisi ingratus et insani mentis non observaret perpetuo inter nos sæpius<sup>b)</sup> ostensam fraternitatemque amicitiam<sup>c)</sup>, quam non delet seiunctio corporum neque literarum prætermissio, sed solus, qui omnia potest etc. Adventum tuum quam libentissime operiar; videas tamen, quod dictis facta compenses, neglectamque amicitiam<sup>c)</sup> complebimus. Salutationem domino generoso intimavi, in magnacomplacentiaque<sup>d)</sup> acceptavit<sup>e)</sup>; sciasque me pondere magno prægravatum scilicet decanatus et me dies faustos atque felices in hoc mundo (ut ita dicam) vixisse. Vale et iterum vale et me, ut soles, ama. Datum monasterio Sancti Galli, profesto s. Lucie<sup>f)</sup>, anno 1516.

Ludovicus Blarer<sup>g)</sup>, decanus monasterii divi Galli.

Præclaro<sup>g)</sup> atque expectabili viro Ioachimo Vadiano,  
rectori Viensis (!) gymnasy necnon laureato poetæ<sup>h)</sup>,  
amico suo præamantissimo.

a) „benivolencia“. — b) „sæpius“. — c) „amicitiam“. — d) „complacentia“. — e) „acceptavit“. — f) „Lucie“. — g) „Præclaro“. — h) „poetæ“.

1) Von Ludwig Blarer ist in unserer Sammlung nur dieses eine Schreiben vorhanden.